



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Pastorale Missionariorvm**

**Verjuys, Jean-Baptiste**

**Antverpiæ, 1682**

2. Quænam verba sint de essentia formæ hujus Sacramenti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41565**

ARTICULUS II.

*Quanam verba sint de essentiâ formæ  
hujus Sacramenti.*

**F**orma Extremæ Unctionis prout præscribitur à Conc. Florent. est hæc : *Per istam Sanctam Unctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid peccasti per visum &c.* Non tamen omnia & singula verba sunt de essentiâ hujus Sacramenti. In primis, hæc particula *Sanctam non habetur in Pastorali Leonis X. c. 2. de Extr. Unct.* Similiter non videtur ad essentiam pertinere *& suam piissimam misericordiam*, cum sufficienter hoc exprimatur per particulam *Indulgeat*, loco cuius posset etiam substitui *condonet, ignoscat, remittat eo quod habeant æquivalentem significationem.* Loco *peccasti dici* potest *deliquisti* sicut ponitur in Rituali Romano & Pastorali Mechliniensi. Et loco *Dominus* potest dici *Deus*. Quod tantum movemus ne si quis ex turbatione formam sic pronuntiaverit, inde inquietetur. Nihilominus semper servandus est ritus propriæ Ecclesiæ, & præcipue Ritualis Romani; unde si quis aliter scienter formam proferret, graviter peccaret. Dices : *Hoc Sacmentum uti & cetera instituta sunt immediate à Christo Domj.*

400 TRACTATUS XI.

Domino ; ac proinde ab ipso determinata  
forma & materia ; sed non potest Ecclesia  
mutare formam à Christo Domino institu-  
tam , ergo non est licita tanta variatio. Resp.  
Sicut de aliis Sacramentorum formis dici  
debet , quod Christus Dominus instituerit  
formam quoad significationem suam, non au-  
tem quoad ipsa verba determinatè , alioquin  
non possent formæ in diverso idiomate pro-  
ferri , dum ergo salvatur sensus & significatio  
æquivalens non censetur mutari forma à Chri-  
sto instituta. Sicut etiam validè baptizaret qui  
loco baptizo , diceret abluo quia idem omni-  
no significat. Et idem est de aliis formis.

ARTICULUS III.

*Qualis infirmitas requiratur ut valide  
conferatur ?*

**S**UPPONIMUS tanquam indubitatum quod  
solis infirmis possit conferri , uti satis col-  
ligitur ex verbis Jacobi Apostoli cap. 5. Infir-  
matur quis in vobis. Unde nihil efficiet , qui  
hoc Sacramentum conferre velit homini san-  
tamente si constituto in periculo mortis, v.g. qui  
ducendus est ad extreum supplicium. aut con-  
flicturus in prælio , aut in naufragio , aut si  
mulier sit vicina partui : licet enim tales sint in  
mortis